



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Quomodo poßit materia cognosci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

perfectiorem excludat : repugnat verò dari imperfectiorem realem puram sine vlla perfectione : nam potius esset nihil, & pura negatio omnis perfectionis. Vnde, sicut Theologi dicunt dari summum bonum, quod nihil mali includat, non tamen dari summum malum, quod tale sit, vt nullam bonitatem habeat, vel in ea fundetur ita licet detur actus purus, qui omnem excludat potentiam; non tamen potest dari pura potentia, quæ omnem excludat actualitatem, etiam entitativam & incompletam. Quod autem obiciebatur de summa distantia inter puram potentiam & purum actum, primo expediri potest, negando esse de ratione puræ potentie, vt summè distet à puro actu; nam materia celi est pura potentia, & tamen non summè distat à puro actu: plus enim distat materia horum inferiorum; cum sit imperfectior, & incertum adhuc est, an possit fieri alia materia minus perfecta, quam hæc inferior, & consequenter magis distans à perfectione Dei. Accidentia item magis distant à perfectione Diuina, quam materia prima. Distingui item potest duplex distantia; vna dici potest negatiua, qualis est inter ens & nihil: alia positiua ex parte vtriusque extremi. Non est ergo de ratione puræ potentie vt distet à Deo priori modo, sed posteriori: & ideo quamuis admitamus puram potentiam summè distare à puro actu, non sequitur debere puram potentiam, nullam includere actualitatem; quia illa distantia non est summa comparata ad negatiuam, sed inter positiuas, & ideo requirit aliquam conuenientiam inter extrema in entitate, est illa conuenientia minima sit.

Ad quintam respondetur, materiam esse substantiam, vt expressè docet Aristoteles 8. Metaphysic. à principio, & sepe aliis. Vnde materia non est potentia ad totam latitudinem substantie, sed ad formam, & ad esse compositum; ad substantialem autem entitatem materie non est in potentia, sed actu est talis entitas. Repugnat enim dari potentiam realem, & receptiuam respectu totius generis & latitudinis substantie, vt completam & incompletam comprehendit, quia substantia prior est accidente; & ideo talis potentia, cum sit primum subiectum, non potest esse accidens, sed substantia; neque etiam potest esse in potentia ad se ipsam: ergo nec potest esse in potentia ad totam latitudinem substantie. In quo est magna differentia inter formam substantialem, & accidentalem: nam accidentalis supponit ens nobilioris generis, scilicet substantiam; & ideo fieri potest vt subiectum vel potentia ad accidens non sit accidens vllò modo, id est, neque completum, neq; incompletum: forma verò substantialis non supponit ens nobilioris generis: & ideo potentia ad talem formam non potest non esse aliqualis substantia, saltem incompleta.

SECTIO VI.

Quomodo possit materia cognosci.

I. **M**ateria ex se deum cognoscitur. Ultima obiectio postulat, vt de cognitione, seu cognoscibilitate materie pauca dicamus. De qua multa dicuntur ab authoribus: breuiter tamen dicendum est, aliud esse loqui absolute de cognitione materie secundum se: aliud verò de modo quo à nobis cognosci potest. Priori consideratione concedo materiam posse cognosci directam & propria cognitione: sic enim & à Deo, & ab Angelis cognoscitur per propriam speciem, vel conceptum. Quamquam enim Theologi disputent, an Deus habeat propriam ideam materie, & quidam negare videantur cum Platone in Timæo: tamen re vera id negare non possunt, nisi fortasse quoad modum loquendi. Plato enim negauit materiam esse creatam à Deo: & ideo mirum non est quod Deo negarit ideam materie. Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

quodammodo sit pura potentia. quamuis verisimile non sit negasse Deo propria cognitionem saltem speculatiuam materie. Cum autem secundum veram doctrinam Deus sit materie creator, non potest omnino carere idea materie, cum omnia per intellectum & voluntatem operetur. Sollet autem illa idea dici non esse propria, id est adæquata ipsi materie, quia Deus non habet aliam ideam totius, & partium; sed per ideam compositi representat materiam, vt ait D. Tho. 1. p. qu. 15. art. 3. ad tertium. Hoc tamen non impedit quo minus exactè, directè, & prout in se est, materiam representet, vnde Caiet. ibi speculatiuam rationem materie admittit, quamuis non ideam. Albert. verò 1. d. 35. art. 10. non dubitauit etiam ideam materie concedere. Simili modo Angelus dici potest cognoscere materiam directè & per propriam speciem, non quia illa species nihil aliud representet: fortasse enim eadem species quæ totum compositum representat, est principium cognoscendi materiam, sed quia talis species representat materiam secundum propriam rationem eius, & directè, & absque vlla Metaphora vel Analogia in eius cognitionem ducit.

Dices: Materia non potest sine forma cognosci etiam à Deo vel Angelo: ergo nunquam potest propria cognitione cognosci. Aliqui respondent negando antecedens: cum enim materia suam entitatem absolutam habeat distinctam à forma, secundum illam potest præcisè concipi, vel conceptu realiter distincto ab aliis, vt in Angelo, qui voluntarie potest solam materiam contemplari, vel saltem ratione distincto, vt in Deo, quod sentit Scotus in Prolog. qu. 1. & in 2. dist. 12. quæst. 1. & inclinat Themistius 1. Physicor. tex. 61. qui loquuntur absolute de cognitione materie. Probabilius autem videtur materiam non posse prout in se est essentialiter & comprehensiuè concipi sine forma, saltem vt termino aptitudinis essentialis, quam materia habet ad formam, vt frequentius authorores docent: & sumitur ex Aristot. 2. Physicor. cap. 2. vbi ait materiam esse eorum quæ sunt ad aliquid, habitudine scilicet transcendentali, vt supra declarauimus: quæ autem huiusmodi sunt, non possunt cognosci sine suis terminis. Vnde admissio antecedente negatur consequentia, quia conceptus proprius est vnicuique rei accommodatus: & ideo si res sit respectiua, tunc proprio conceptu intelligitur, quando concipitur per respectum ad aliud. Neque inde sequitur, quod materia non habeat in se & ex se propriam actualitatem suæ entitatis, sed solum quod non habeat illam sine habitudine transcendentali ad formam: nam etiam è conuerso forma vt informans, seu vt informatiua est, non potest concipi sine respectu ad materiam cuius est actus.

Si verò loquamur de cognitione materie quoad nos, in ea cognitione considerare possumus, vel modum inquirendi, & inueniendi cognitionem materie: vel terminum huius inquisitionis, seu conceptum vltimū, quem de materia formare possumus. Quoad primum, verum est quod Aristoteli ait 1. Physicor. cap. 7. tex. 69. & ex illo Damasc. in sua Physica, cap. 3. materiam cognosci à nobis per proportionem seu Analogiam ad materiam rerum artificialium, vel ad subiectum mutationum accidentalium: nam nos non peruenimus in materie cognitionem nisi per viam mutationis, vt supra declaratum est. Hoc autem non prouenit ex eo quod materia non habeat aliquam entitatem & actualitatem, sed ex eo quod substantialis mutatio occultior est, & sentiri per se non potest: & ideo à nobis non percipitur nisi per ordinem ad accidentales, & sensibiles mutationes. Imo inde etiam fit vt forma substantialis non cognoscatur à nobis directè, sed per indicia sensibilia, vt mox videbimus. Et hac ratione dixit etiam Plato in Timæo materiam cognosci adulterina cognitione, vt notauit Simplicius 1. Physicor. tex. 96.

Quoad secundum autem dicendum est peruenire requi-

Materia i-
deam Deum
habet.

II.

Materia cō-
prehendi nō
potest, non
cognita for-
ma.

III.

IV.

Z

re qui-

Quod de ma-
teria conce-
ptu formae
possimus.

re quidem nos in aliquem proprium conceptum materiae primae, non tamen omnino distinctum & prout in se est: sed negatiuum partim, partim confusum. Tota hęc assertio constat ex definitione materiae tradita ab Arist. scilicet esse *primum subiectum*, &c. nam per illam descriptionem aliquem conceptum obiectiuum explicamus: ille autem est proprius materiae, sicut & ipsa definitio. In ea vero definitione *subiectum* quid confusum est & commune: additur verò quod sit *primum*, vt ad materiam limitetur: *primum* autē negationem importat prioris subiecti. Perinde est quod communiter naturam materiae declaramus per rationem purae potentiae: nam ratio potentiae confusa est, & communis: at verò dictio *pure* negationem dicit omnis formae componentis vel constituentis ipsam materiam. Ratio verò est, quia nos vix cognoscimus simplicia propriis conceptibus nisi adiungendo aliquam negationem: quare hic est frequentior modus declarandi naturam materiae per carentiam formae, & completæ actualitatis, &c. Et ita describit illam Arist. 7. Met. tex. 8. dicens materiam non esse *quatum, neque quale*, &c. & ideo fortasse dixit in eodem lib. tex. 35. materiam esse per se ipsam incognitam. Interdum verò, vt notauit D. Bonauent. in 2. distin. 3. art. 1. quæst. 2. videtur declarare naturam materiae per conceptus pure positiuos, vt si dicamus esse substantiam incompletam receptiuam formae substantialis: sed quod dicitur *incompleta*, negationem importat. Ac denique nunquam satis materiae naturam declaramus, nisi adiungamus negationem omnis actus formalis constituentis ipsam. Et ideo dixit Aug. libr. de Natura boni, c. 18. *materiam per nullam speciem, sed per priuationem omnis speciei cogitari vix posse*. Et lib. 12. Confess. c. 5. ait: *Conari nos materiam cognoscere ignorando, vel ignorare noscendo*. Sicut enim tenebrae videntur à nobis, dum non videtur lumen: ita dum intelligimus quid informe, quod est ignorare formam, cognoscimus aliquo modo materiam. Et è conuerso cum cognoscimus aliquid formatum, seu compositum forma, ignoramus materiam, seu potius cognoscimus illud non esse materiam, & aliquid remouemus, vt solam materiam concipiamus. Hoc autem non prouenit ex eo quod materia nullam habeat entitatem, sed ex eo quod habet illam ita simplicem & potentialem, & latentem sub formis substantialibus, & accidentalibus. vt à nobis non possit alio modo inuestigari aut concipi.

Erge Augu-
stinus 1. p.
Hexam. 6. 3.

SECTIO VII.

Quid causet materia.

I.



xplicuimus naturam materiae primae, & obiter attigimus omnes causas eius, scilicet efficiens, quæ est Deus, & finalem, quæ est forma vel compositum: & aliquo modo formalem, quæ etiam est forma, de qua infra plura dicturi sumus. Materiam autem non habet præter se ipsam, vel partes suas integrantes, cum sit simplex, & primum subiectum. Reliquum ergo est vt causalitatem eius (quod in hac sectione præcipue est intentum) declaremus. Quatuor verò in hac causalitate, sicut in cæteris, desiderari possunt: primum quid causet materia: secundum quo causet, seu quæ sit ex parte illius principalis & proxima ratio causandi, tertium quæ sit necessaria conditio: quartum quid sit causalitas ipsa, per quam causa in actu constituitur.

Varia opiniones.

II.

Circa primam partem, quidam aiunt proprium & vnicum effectum materiae esse ipsum compositum, quod potest sumi ex definitione materiae, scilicet, *Primum subiectum ex quo fit aliquid*, &c. Proprie

enim solum compositum fit. Item materia est causa intrinseca: solum autem ad compositum comparatur vt intrinseca causa. Item materia non est causa formæ: ergo solum compositi: antecedens patet, quia materia non est principium formæ: ait enim Arist. 1. Physicorum, vnum principium non esse ex alio. Denique quia materia vnicam causalitatem habet: ergo & vnum causatum seu adæquatum effectum. ita sentit Maior in 2. distin. 12. quæstione 2. citans Auicennam 6. suæ Metaphysicæ tract. 2. ca. 4. Item Albertus 2. Physicorum, tract. 2. cap. 1. Qui tamen videtur æquiuoce loqui: ait enim materiam non esse causam formæ nisi per accidens, quia forma non fit, sed compositum: vnde non videtur negare formam eo modo quo fit, causari à materia.

Alii autem volunt formam etiam esse proprium effectum materiae: non vero omnem, sed illam quæ de potentia materiae educitur. Quæ sententia videtur communis. Nullus enim, quem ego viderim, excludit compositum à causalitate materiae. Quamquæ enim Auerroes & alii dicant materiam non esse de essentia compositi, quod infra in proprio loco disputabimus: non tamen negant materiam esse causam compositi, nec negare possunt, cum sit euident ex ea consistere. Hęc ergo secunda opinio quoad hoc non differt à prima, sed addit causalitatem materiae in formam, quæ de eius potentia educitur. Et probatur quoad hanc partem, quia huiusmodi forma pender à materia: ergo est effectus eius. Item hæc forma educitur de potentia materiae: ergo materia conducit in suo genere ad educationem illius: ergo est causa illius. Ex quibus rationibus videtur e contrario concludi, materiam non esse causam formæ rationalis: quia hæc nec pender à materia, nec educitur de potentia illius.

Hanc vero sententiam etiam iudicat insufficiens Fonseca libr. 5. metaph. capite secundo, quæst. 1. sect. 2. quem imitantur Conimbricenses 2. Physic. c. 7. quæst. 8. art. 1. & ideo addit materiam esse causam omnis formæ etiam rationalis, scilicet vt informatis: & hanc dicit esse generalem causalitatem materiae. Quæ sententia hac sola ratione conuincitur videtur, quod licet substantia vel existentia formæ interdum non pendeat à materia, informatio tamē formæ semper pender à materia, tanquam à propria potentia & subiecto: ergo forma vt informans pender à materia vt à materiali causa: est ergo effectus eius. Confirmari hoc potest, quia anima pedit à materia, vt æternitudo sui esse, ad quem habet essentialē habitudinem vt loquitur D. Tho. q. de Anim. a. 1. ad 12. Habet etiā rationalis anima quodammodo dependere à materia quoad initium sui esse, quia naturaliter non debetur illi esse, nisi in tali materia, à qua pender in vni one: ergo.

Præter hæc vero addere possumus, materiam etiam esse generationis ipsius materialem causam, quæ ex natura rei distincta est à forma, & à composito. Et probatur, quia materia est principium generationis teste Aristotele, & est principium per se, & à quo essentialiter pender generatio: est ergo vera & propria causa generationis: nam in illam suo modo propriissime influit.

Ex his ergo videntur colligi quatuor effectus materiae ex natura rei distincti, scilicet compositum, forma, quæ materialis est, vni formæ cum materia, & generatio totius compositi. Quod enim hæc omnia causentur à materia, satis probatum videtur, quod autem illa omnia sint distincta, saltem ex natura rei, facile ostendi potest. Nam forma distinguitur à composito vt pars à toto. Vni vero distinguitur à forma, saltem vt modus ex natura rei distinctus, & separabilis ab ipsa, vt in anima rationali patet, & idem fieri posset in aliis formis saltem de potentia absoluta, sicut factum est in quantitate Euclidianæ, de quo plura infra, tractando de causa formali.